

Q. D. B. V.

27

DISPUTATIO JURIDICA

DE

PRÆSCRIPTIONE RELUITIONIS PIGNORUM SECUNDUM ANALOGIAM JURIS CIVILIS

QVAM

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
CONSENTIENTE
MAGNIFICO JURISCONSULTORUM ORDINE
P R A E S I D E

GOTTLIEB STURMIO

JUR. UTR. ET PHILOSOPHIÆ DOCT.

D. NOVEMBR. ANNO MDCCLXIX.

IN AUDITORIO JURIDICO

HORIS CONVENTIS

PUBLICO EXAMINI SUBMISSAM DEFENDET
GEORGII FRIDERICI MEYERUS
HOYERSWERDA-LUSATUS.

VITEMBERGÆ, LITERIS JO. LUDOLPHI FINCELLI.

DISPUTATIO JURIDICA
PROSOPICAE
HISTORICO-GENOMIA
SCIENTIA ANTIQUA
TITULUS
ACADEMIAE BEROLINENSIS
ACADEMICO-DISSERTATIONE
GODFREDI MIMO
CENSORE
BONI ET CLEMENS
EDITIONIS





L. D. B. V.

CAP. I.

RELUITIONEM PIGNORIS POSSE PRÆ-
SCRIBI CONTRA DEBITOREM, DEMON-
STRATUR POSITIVE.

§. I.



Ræscriptionem reluitionis pigno-
rum tractaturi, operæ quidem
premium nos facturos judicamus,
si de variis pignoris significatio-
nibus nonnulla præmittamus.
Verum enim vero, nobis magis
rei, quam verborum studiosis, in
præsentiarum paucis solum de-
monstrandum venit, quoniam significatu sumatur a-
pud Classicos Autores & JCtos. Legimus apud Classi-
cos, partim pro liberis & conjugibus. CURT. lib. IV. cap.
14. §. 23. partim pro mutuis officiis. ibid. lib. VI. cap. 7.
§. 5. partim pro benevolentiae indicio. ibid. §. 9. imo et-
iam pro sponsione, eisne Wette / accipi. Virg.

A 2

§. II.

§. II.

JCtos vero quod concernit, pignus multo aliter, & quidem sensu genuino exponitur. Appellatum enim pignus est a pugno, quia res, quæ pignori dantur, manus traduntur. *L. 238. ff. de Verb. Sign.* Sumitur etiam ex hac ratione triplici modo. *BERG. Oct. Lib. II. Tit. IV. n. 1.* nimirum 1.) efficienter, pro contractu pignoris, qui est realis, quo debitor in securitatem crediti, rem creditoris tradit, soluto debito in specie restituendam. 2.) objective pro re pignori data, mobilia & immobilia, immo etiam nomina Jur. Civ. & Saxon. in se continente. *CARPZ. P. 2. Conf. 23. & Dec. Elect. nov. 31. it. O. P. R. Tit. 44. §. 2.* ita tamen, ut Jure Sax. in immobilibus semper Judicis rei sitæ confirmatione, in nominibus autem documenti traditione, & in feudalibus Domini directi consensu opus sit. *d. P. O. I. c. si scil. creditor in concursu creditorum Jure reali frui cupiat.* III.) effete, pro Jure pignoris, quod est Jus in re, creditori in securitatem debiti constitutum, *arg. L. 18. §. 2. de pign. act.*

§. III.

Dividitur pignus in conventionale seu expressum & legale s. tacitum. Expressum est, quod expressa debitoris voluntate constituitur. *LUDOV. in Doctr. Pand. §. 4. de pign. & hypoth.* fitque dupliciter, 1.) traditione quando res creditoris traditur, & vocatur pignus in specie 2.) pacto nudo, si res nudo consensu oppignorata, penes debitorem maneat, quæ appellatur hypotheca. *D.N. de WERNHER. in Comp. Jur. p. 122. §. 3. BERG. Oct. Lib. II. Tit. V. n. 2. BRUNNEM. ad L. 9. in Comm. ff. de pign. act.*

SCHOL.

SCHOL.

Præter enumeratas pignorum species, tertiam nobis obtrudere conantur nonnulli, scil. contractum prætorium consensualem pignoris vid. PAGENSTECHER. in Siciliæ. ad Comp. Jur. Lauterbachian. p. 65. qui existimat Legem I. pr. π. de pign. Act. (ubi pignus non sola traditione, sed etiam nuda conventione contrahi dicitur,) intelligendam esse de contractu consensuali prætorio. Sed enim vero, quid sit contractus consensualis prætorius, neque in libris Pagenstecheri, neque alibi in Jure quicquam consignatum legimus. Si in L. alleg. ULPIANUS, de contractu consensi. sermonem fecisset, quid opus ! ut Action. Servianam & quasi Servianam, quæ sunt reales, introducere, traditionemque in hypotheca, ut Jus reale ex ea resultare possit, fingere voluisse. Cum tamen, uti ex omnibus, ita quoque ex contractu consensuali, actio personalis fluat. Ergo omnino verba legis allegata non de Contractu consensuali, sed pacto nudo, nobis interpretanda veniunt. Nam L. 17. §. 2. de pactis. it. L. 9. de pign. act. ea non solum in hunc modum magis magisque explicat; sed etiam Autores §. III. in fin. adducti, huius sententia subscribere non dubitant. Accedit præterea, Imperatorem Tit. de Oblig. ex Consensu I. quatuor solum species contractuum consensualium recensuisse, & licet quintam, emphyteusin nimirum. §. 3. I. de loc. cond. adjecerit, tamen de sexta nullibi aliquid invenimus. Imo exempla Pagenstecheri, quibus novum suum inventum corroborare voluit,

A 3

vel

vel in nudi pacti finibus consistunt , & nullam actionem producunt , aut actionem pignoratitiam contrariam habent.

§. IV.

Pignus legale s. tacitum est , quōd per peculiarem legis dispositionem constituitur , quale competit v. g. 1.) uxori , pro restituenda dote , 2.) marito , ratione dotis præstandæ in bonis uxoris , vel illius , qui dotem promisit . 3.) illi , qui in refectionem domus credidit . 4.) fisco in bonis Civ. & cetera , quæ legi possunt apud Doctores ad tit. ff. in quibus causis pign. vel hypoth. tacit. contr. Sed in Sax. per O. P. R. Tit. 45. omnes hypothecæ tacitæ sunt abrogatae , ita tamen , ut præteritæ post sexennium demum , a tempore publicationis d. O. P. R. computandum , exspirare debeant.

§. V.

Porro solvitur pignus I.) vel per consequentiam principalis obligationis , v. g. si debitum est solutum . II) per & proper se , quod fit , a.) totali rei interitu , b.) remissione creditoris , c.) confusione , d.) resoluto Jure dantis , v. g. si vasallus absque Consensu Domini vel agnatorum feudum oppignoravit , e.) tempore , ubi agitur de praescriptione pignoris . LUDOV. Doctr. ff. Lib. XX. Tit. IV. Et hæc est materia , de qua in præsentiarum demonstrare constituimus , quod relatio pignoris , quæ est redemptio pignoris , contra debitorem , imprimis secundum analogiam Juris civilis , possit præscribi . Notum enim atque perspectum est , hanc materiam non solum inter privatos , sed & illu-

illustres s̄epissime vendilari, quorum exempla superiori anno inter Principem Meinungensem & Abbatem Fuldensem ex relationibus novarum publicarum percepimus.

SCHOOL.

Abbas quidam Fuldensis anno 1511. propter aliquod numismatum pondus, quod tunc temporis a Comitibus Hennebergicis, (quorum territoria propter confraternitatis pactum, ad Principes Saxoniae, & imprimis ad Ducem Meinungensem, per venerunt,) mutuo accepit, duas præfecturas, Fischbach & Salzungen/ in crediti securitatem oppignoravit, & licet earum relutio ab Abbatibus succedentibus A. 1628. & 1704. in supremo Judicio aulico, maximo ardore urgeretur, tamen illa non prius nisi superiori anno ad finem perduci potuit.

§. VI.

Actiones civiles olim quidem apud Rom. perpetuae atque indeterminatae erant, adeo ut post centum aut plures quoque annos institui poterant, quoniam & ipsum Jus Civile perpetuum erat, per consequens etiam & actiones exinde oriundæ. H. P. P. in *Comment. ad Inst. s. 1. Tit. de perpet. & temporal. act.* Legislator autem intelligens, rerum dominia semper manere incerta, nisi certos actionum terminos, quibus expirare deberent, præscriberet, quapropter publicæ utilitatis causa certos determinavit fines, ultra quos actio amplius non dabatur. arg. L. 1. ff. de Usuc. Ex quo consequitur, relutionem pignoris, propter paritatem rationis,

onis, contra debitorem ejusque heredes omnino posse præscribi.

§. VII.

Producit autem contractus pignoratitius, actionem pignoratiam, directam & contrariam. Directa est, quæ datur debitori, qui pignus dedit, ejusve heredibus, adversus creditorem, qui pignus accepit, ejusque heredes, ad hoc, ut illud soluto pignoris vinculo reddat. *§. fin. I. quibus modis re contr.* Contraria datur creditori, ejusque heredibus, ad indemnitatem ratione pignoris consequendam. *L. 16. §. 1. ff. de pign. act.* Utraque est personalis, quæ omnes per *L. 3. & 4. C. de prescr. 30. vel 40. anno.* ut & reales, nisi lex specialis, longius aut brevius tempus constitutens, adferatur, XXX. annis præscribuntur. Cur ergo pignus quod petitur act. pign., quæ est personalis, ultra 30. annos durare deberet?

§. VIII.

Præscribitur per LL. supra §. VII alleg. omnibus actionibus, quæcumque sint, atque breviori spatio non circumscribuntur, sive sint in rem, & quidem vel speciales, ut Act. confessor. vel de universitate, v.g. petitio heredit. sive sint personales, ut omnes ex contractu descendentes. BRUNNEM. ad *L. 3. C. de presc. 30. vel 40. annor.* quæ cum ita sint, non video, cur sola hæc actio sit excipienda, cum Justinianus, in multis maxime locis opportunis, de act. pign. quod scil. ejus præscriptio, a tempore ordinario exempta esse debeat, ne verbum quidem faciat, & legi generali non, nisi

nisi per expressam specialem, quæ posterior ut plurimum est derogetur.

§. IX.

Licet præterea nonnulli pignoris præscriptionem negant, partim pignus inter res meræ facultatis referentes, partim quoque demonstrantes, illud non esse titulum ad transferendum Dominum habilem, qui alias regulariter in præscriptionibus requiratur. Tamen & ipsos dissentientes consentire oportet, quod jura ex contractu quæsita, vel aliis indulta præscriptioni subjaceant.

§. X.

Et quis ignorat, pignus secundum vulgare illud: Omne accessorium sequitur suum principale, esse accessorium mutui, cui 30 annorum spatio præscribitur. Si itaque mutuo, quod est principale 30 annis præscribitur, sequitur Imperatorem etiam pignori, quod est accessorium, propter consequentiam, XXX. annis præscribi voluisse, imprimis dum tunc pignus esse definit. Quemadmodum enim debitum post 30 annos in invito creditori obrudi nequit, nec ab invito debitore exigi potest; Ita & pignoris relutio post mutui præscriptionem, nobis expirare videtur.

§. XI.

Relutionem pignoris præscribi posse, denique & ipsa præscriptionis analogia probat. Notum est, omnem præscriptionem dividi in longi & longissimi temporis præscriptionem, illa est vel extraordinaria, vel ordinaria. Extraordinaria est, qua quis immediate ab ipso domino vult præscribere.

B

PAGEN-
STECHER-

STECHERUS in Aphorism. ad Inst. Justin. p. 119. v. g. in servitutibus & similibus iuribus e. g. Vectigalibus, conductus, patronatus iuribus, quibus præscribitur, licet vero justoque titulo a Domino constituta non sint modo Tit. præsumtus, i. e. scientia patientiaque domini intervenit L. 10. ff. si serv. vind. L. 1. C. de servit. BERG. in Resol. LL. obſt. pag. 136. nec res vi, clam, aut preclaro sit possessa, sed hæc nihil ad rem facit. Ordinaria est Acquisitio per possessionis continuationem, tempore lege definito. L. 3. ff. de Usurp. & Usucap. L. un. C. de Usuc. transform. Hæc differebat olim ab Usucapione, quam tamen Imperator per d. L. un. C. de Usu. transf. in unum redegit. Ut autem longi temporis ordinaria & longissimi temporis recte discernantur, sequens versiculos memorialis juvabit.

1) Res habilis, 2) Titulusque 3) fides, 4) possessio, 5) tempus. Omnia si adsunt quinque requisita, rebus 10. inter præsentes, 20. autem inter absentes præscribitur annis; si autem deficiant tria requisita priora, adsunt tamen duo posteriora, præscriptio se ad XXX. vel XL. annos extendit, ita tamen, ut si quis solo temporis lapsu nitatur, exceptione tantum tutus sit, si autem simul in b. f. fuerit constitutus, habeat & actionem, v. g. vindicationem. MENCKEN. in Synopsi Pand. p. 861. §. 20. & seqq. Applicatio, ut ad nostrum scopum perveniamus, nunc facilis nobis videbitur. Nam pignus & Jus pignoris propter deficiens requisitum secundum, titulum scil. qui est in pignore ad transferendum dominium inhabilis, XXX. præscribitur annis, modo possessio continua per XXX vel XL. annos, accesserit. Quod si autem debitum intra 30. annos, hæc licet

licet circa finem ultimi anni offeratur, tunc omnino debiti oblatio instar interruptionis possessionis continua esse videtur, per consequens etiam de novo XXX. anni ad præscriptionem rei oppignoratae requiruntur. Ergo omnes res sive sint furtivæ, sive vi possessæ sive viciosæ sive titulum non habentes, per L. 8. § 1. in fin. de prescript. XXX. vel XL. ann. longissimo tempore præscribuntur, cur non & actio pign. juncto jure relutionis.

§. XII.

Ratio ultima, cur pignora præscriptioni subjaceant, desumta est ex L. 7. pr. C. de præsc. 30. vel 40. ann. ubi Imperator possessoribus hypothecæ, ne semper immortali timore teneantur præscriptionem permittit. Si itaque præscriptio possessoribus hypothecæ concessa, quid obstat? Ut possessoribus pignorum propter paritatem rationis non etiam debeat esse indulta.

C A P. II.

RELUTIONI PIGNORUM PRÆSCRIBI POSSE
DEMONSTRAT REMOTIVE.

§. I.

Haec tenus in antecedentibus pignoris præscriptionem positive considerati, nunc ad remotionem adversariorum sententiam, nos convertimus. In primis vero nobis in mentem venit, sententia, pignoris præscriptionem inter res meræ facultatis referentium, quorum primum obtinerrunt locum HUGO GROTIUS de Jur. B. & P. Lib. II. cap. IV. §. 15. MYNS. c. I. Decad. 4. Resp. 31. ZASIUS ad §. 28. Inst. de Act. At enim vero, pignus ex rebus meræ facul-

B. 2

facul-

facultatis esse, neutiquam evinci posse, ipsa rerum meræ facultatis definitio nobis ostendit. Sunt autem res meræ facultatis *Jura libere disponendi, de persona & rebus suis*, quarum intuitu aliis non est Jus per pactum legibus conforme quæsitum. *THOMAS. in Additam. ad HUBERI Prael. ff. lib. XX. Tit. VI. p. 46.* Hoc si verum est, neutiquam a rebus meræ facultatis quæ regulariter præscriptione eximuntur, ad pignus argumentari licet, cum neque creditor, neque debitor, de pignore, quamdiu tanquam pignus considerari potest, libere disponendi facultatem habeat. Immo Jus reliundi pignora & actionem pignoratitiam sint jura ex pacto legibus conformi quæsita, h. e. ex contractu pignoris. Et posito, sed non concessso, illud ad res meræ facultatis omnino posse referri, tamen & res, quam primum terminos facultatis egrediuntur, pro juribus potius, quam rebus facultatis existimantur, & per consequens propter Jus formatum, in Judicium deducibile, quod in se continent, præscriptioni subjacent. *ZIEGL. ad HUG. GROTI. de Jure B. & P. p. 267.*

SCHOL.

Errat igitur *GROTIUS L. 2. c. 4. §. ult. de J. B. & P.* dicens, res meræ facultatis esse: quæ non habeant quotidianum exercitium, sed semel ubi commodum erit. Ergo & jus repetendi mutuum, commodatum &c. debeant referri ad res meræ facultatis, quod tamen absurdum. Nec Huberi definitio admodum accurata videtur, quam in *pral. ff. L. 20. Tit. ult. circa finem spargit:* Res meræ facultatis sunt jura, quæ non actu quæsita, verum semper in
po-

potentia sunt, ut constituantur & adquirantur propterea quia 1.) & res meræ facultatis non desinunt tales esse, licet actu exerceantur, nisi post alterius prohibitionem per tempus legitimum præscribantur. Dantur igitur res meræ facultatis, quæ actu sunt quæsitæ & exercentur, hinc in potentia amplius non consistunt, ut Jus braxandi, 2.) inventantur res, quæ tantummodo in sola potentia consistunt, neque actu sint quæsitæ, & tamen ad res meræ facultatis referri haud possunt, v. g. res, quas prætor in *Tit. de publ. Act. usucaptas* fingit.

§. II.

Alterum adversariorum argumentum, quo probare student suam sententiam, desumptum est ex L. 1. §. 2. in fin. C. de annali except. unde dicunt, actioni pignoratitiae, propter regulam: non valenti agere non currit præscriptio, nullo modo ante solutionem pignoris posse præscribi. Concedimus lubentissime, regulam istam omnino esse verissimam; Verum negamus applicationem. Dum enim Imperator in L. c. loquitur: *Sancimus, filiis familias, in omnibus his casibus, in quibus habent, res minime patribus suis acquisitas, nullam temporalem exceptionem opponi, nisi ex quo, actionem movere potuerint, id est, postquam manu paterna, vel ejus, in cuius potestate erant constituti, fuerint liberati, quis enim incusare eos potuerit, si hoc non fecerint, quod etsi maluerint, minime adimplere, lege obviante valeant?* non de proprio facto, quod accidit circa præscriptiōnem pignoris, sed de impedimento Juris, sermonem facit. LAUTERB. Comp. ff. p. 616. in fin. Nam constat,

B 3

le-

leges, facta propria per negligentiam commissa, punire potius, quam ejusmodi indulgere voluisse. pr. I. de usuc. Ergo sibi imputet debitor, qui non tanto temporis spatio, pretium obtulerit & pignus liberavit.

§. III.

Inter varia argumentorum genera, quibus nituntur adversarii, etiam hoc minimum non esse videtur: *Actionibus non currere tempora prescriptionum, nisi illae sint natæ cum effectu. Atqui actio pignoris, non nascitur cum effectu, nisi soluto debito, ergo prius currere nequit.* Nos equidem respondemus affirmando, veram imo verissimam esse hanc regulam in tantum, in quantum debitum considerari potest, tanquam debitum non solutum, a quo scil. solutionis tempore, actio pign. cum effectu demum nascitur, adeo ut annos 30. integros inse continere debeat, licet circa finem auii 29. debitum fuerit oblatum. Verum enim vero, cum tamen solutio nihil aliud quam debiti præstatio sit. THOM. in additam. ad Huberi prel. ff. c. l. p. 46. debitum autem intra triginta annos extinguitur, sequitur necessario ut & actio pignoratitia, per præscriptionem mutui, simul debeat esse sublata in herbisque veluti ut vocant suffocata propter rat. §. antec. in fin. adduct. nam quando est in voluntate partis, facile præscribitur etiam actione nondum natæ. BRUNN. ad L. 7. n. 16. C. de prescr. 30. vel 40. ann. Et huic sententie etiam D. N. COCCEJUS subl'ribere non dubitat, dicens in Disput. de Rebus meæ facultatis. §. II. Falluntur quod actionem pignoratitiam non nasci possunt ante oblationem debiti, cum confessim illa

illa nascatur ex pignore, quod pure contractum, nec oblato illa magis impedit actionem emti, que nec ipsa intendi potest, nisi oblato pretio, & tamen pura est obligatio, sed ad quam requiritur oblato pretii.

§. IV.

Ad corroborandam adversariorum opinionem, de-
nique & L. 2. C. de pref. 30. l. 40. ann. adducunt, demonstrantes: Creditorem non possidere pignus, cum animo sibi habendi, sed alieno nomine, a qua tamen præscriptio inchoari non possit. Concedimus, quod ad majoris propositionem, attinet, omnino verum esse, præscriptionem alterius nomine possidentem nihil juvare, negamus autem minorem atque applicationem ad pignus. Quis enim dicere vellet, creditorem pignus cum animo sibi habendi non possidere, cum tamen in ejus securitatem sit constitutum. Hoc si verum est, quod nec quisquam negabit, per se patet, possessionem pignoris semper fieri animo sibi habendi, scil. in eum eventum, nisi pignus solvatur. Præterea & ipsa æquitatis ratio fvat-
det, ut pignus, quod vocatur securitas mutui, post e-
jus præscriptionem non definat talis esse, quia tunc demum eventus & conditio pignoris existit. Provo-
cant quidem communiter adversarii ad L. c. unde re-
gulam supra allegatam probare student. Si autem L. c.
paulo accuratius inspiciamus, ne verbum de pignore
in ea reperimus, nec per argumentum ad illud trans-
cendere possumus. Dicitur enim ibi, de precarium
possidentibus & conductoribus, quibus neutquam propter d. L. præscribere permittitur. Precarium
quod attinet, illud apud Romanos nunquam inter-

cop-

contractus locum invenit. *L. 2. §. 2. ff. de precar.* sed semper, uti beneficium revocari poterat, *L. 14. ff. b. t.* qua de re propter hanc revocationem, omni præscriptione erat exemptum, quod tamen deficit in pignore. Locationem conductionem quod concernit, scimus semper atque singulis annis, in ea certam mercedem esse præstandam, quæ toties possessionem continuam interrumpit, quoties locator illam solutam acceptat, ergo & hæc ad pignoris relutionem quadrare non videtur.

SCHOL.

Inveniuntur practicorum nonnulli, qui quidem locationis cond. præscriptionem negant, verum dicere non dubitant, loc. conductionem, ultra novem annos factam, Jus reale s. dominium in conductorem transferre. *CARPZ. Lib. 5. Resp. 17. n. 10.* quamobrem *STRYKUS in Caut. Contr. Sect. 2. c. 9. §. 6.* cautelam suggerit, ut de locatione quovis novennio renovanda, pactum addatur, sed hæc opinio valde principiis Jur. refragari videtur, & hoc non solum propter deficientem titulum, ad transferendum dominium in hoc contractu inhabilem, *L. 39. ff. de loc. cond.* sed & propter *L. 10. C. b. t.* conductionem in perpetuum fieri dicentem.

§. V.

Venit nunc quinto loco adversariorum ratio expli-canda, qui *L. 7. §. 4. de præscr. 30. vel 40. ann.* adle-gant, atque præscriptionem, omnium contractuum sub

sub conditione vel die celebratorum , demum post conditionis vel diei exitum , currere dicunt. Sed Lex c. loquitur de casu , ubi expresse sub conditione vel die aliquid actum. Sub conditione vel die autem agere, proprie loquendo, nihil aliud est, quam vim & effectum , qualitatis actui alicui adiectae, in casum futurum incertum vel diem conferre , L. 37. 38. 39. de Reb. Cred. ita tamen , ut ante existentiam conditionis vel diei , neque executionem instituere , neque etiam præscriptionem currere valeat , quod tamen nihil ad casum nostrum propositum facit. Nam in pignore non expressa sed tacita latere videtur conditio, i. e. talis, quæ propter rei naturam tacite inesse solet contractui , atque pro conditione non habetur. L A U T E R B. in Comp. Jur. p. 50. de pactis. S T R Y K. in annotat. ad b. t. p. 109. Et quamvis protali, quam mox definivimus, conditio haberi non possit, tamen nullus inficias ibit, esse conditionem potestativam , quæ si per negligentiam non impletur , illi imputatur , qui cautius rebus suis prospicere debuisset.

§. VI.

D escendimus nunc ad sextum argumentum, quo pignoratitiam actionem per præscriptionem non extinguidam esse, adversarii probant. De promunt autem illud ex L. 9. §. 3. de pign. act. & L. 13. §. 8. de act. emt. vend. ubi dicitur: *Omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum (esse,) ut nascatur pignoratitia actio*, ex qua ita argumentantur. Si verum est, quod act. pign. non prius nasci potest, nisi pecunia exsoluta , vel alio modo creditori satisfactum;

C

se-

sequitur, ut, si pecunia exsolutioni, propter præscriptionem præclusum, actio hæcce nunquam nasci posset, per consequens etiam semper pro extincta haberi debeat.

§. VII.

Obstat præterea, secundum dissentientium opinionem, adhuc L. 13. pr. de Usurp. & Usuc. quæ quidem aliquod dubium movere videtur dicendo: pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus. Sed parum illam in recessu habere, §. XI. cap. 1. in antecessum veluti demonstravimus. Argumentantur nonnulli, uti BRUNNEM. in Comment. ad L. c. ubiunque res alieno nomine possideretur, ibi semper cum mala fide debet esse conjuncta, & hæc ubi concurrit, ibi neque 20. neque 30. annorum præscriptio locum invenit. Nos quod concernit, respondemus, quemadmodum rei furtivæ etiam à fure ipso, ubi neque titulus nec bona fides inveniuntur, Jure Civ. 30. Saxonico autem 31. annis præscribitur, L. omnes. 4. L. sicut. 3. C. de prescr. 30. vel 40. ann. CARPZ. p. 2. Conf. 3. Def. 16. Ita & procul dubio hoc de pignore, propter regulas §. XI. Cap. 1. adductas intelligendum, cum L. c. adversariorum non deficione longissimi, sed longi temporis velit explicari.

§. IIX.

Denique haud exigui quoque momenti, putant esse dissentientes, si pro coloranda hypothesi sua provocant ad Art. V. §. 26. & 27. Pacis Osnabrugensis. In §. enim

enim 26. sanctitur , ut Imperator Statibus caveat , ne oppignorationes Imperiales , h. e. Jura & territoria , quæ olim ad bona coronæ pertinebant (Cron : Güt-
ther waren) & ab Imperatoribus pro levi interdum pecuniæ summa Statibus oppignorabantur , revocer , & in Fiscum Imperii iterum redigat . Hinc dissen-
tientes putant , si Status Imperii ideo pacto sibi consu-
lunt , ne ejusmodi oppignorationes ab Imperatore re-
vocentur , sequitur , ut Juri pignora reliundi non pos-
sit præscribi . Ast pace illustrium virorum , qui hanc
opinionem fovent , nego consequentiam , ut vocant , ma-
joris . Nam ex antecedenti id taltima sequitur , ut Im-
peratoribus ejusmodi oppignorationes revocare lice-
ret , nisi pacta aliqua , quæ sunt capitulationes , eis ob-
starent ; Igitur nunc nobis inquirendum venit , quo
jure id fieri possit . Quam primum oculos nostros
ad Juris naturæ & Gentium Doctores retorquemus ,
statim variae rationes nobis suppeditantur . Imprimis
autem apertissimi Juris est , Imperatorem nullis legibus
civilibus adstringi , quanquam legibus in incitamen-
tum civium Imperii vivat , teste Imperatore §. ult. I.
quib. mod. testam. infirm. & est persona , unicum statum
naturalem agnoscens , in quo omnino LL. civiles si-
lere debent ; hinc necessario sequitur , ut Usucapio &
præscriptio , quia ex Jure Civili proficiscitur , contra
eum non valeat . Deinde nemo inficias ibit , Impera-
torem quoque tantum propter salutem publicam in
solium hocce esse elatum , hinc & omnia in salutem
reipublicæ facere , & facta , pactaque antecessorum ,
si ei nocere videntur , revocare debet . Nunc oppi-
gnorationes istæ antea dictæ , omnino propter debili-

tationem reddituum fisci, quæ per consequens & vim Imperii imminuit, contra salutem publicam sunt factæ. GROTIUS de J. B. & P. L. 2. cap. 6. §. 9. it. cap. 14. §. 11. 12. 13. COCCEJUS Jur. publ. c. 9. §. 17. 18. & 19. ergo non video, cur Imperator illis stare cogatur, nisi per pactum inter istum & Status ita esset conventum.

SCHOL. I.

Anceps est quæstio inter Doctores, utrum præscriptio usum habeat inter gentes, nec ne? Fluctuat GROTIUS de J. B. & P. Lib. 2. cap. 4. refutatus ab OSIANDRO in notis, quanquam ne hic quidem rem acutetigisse videtur. Ex Scholasticis negat usum usucaptionis inter gentes VASQUEZIUS, cui Galli, reuniones Regum suorum defendantes assentiuntur. Addatur BODINUS de Rep. Lib. VI. c. 2. p. 1009. & in hoc libello passim; sunt & ex recentissimis Doctoribus quam plurimi, qui his calculum addunt. Quibus & ego suffragor rationibus sequentibus: 1.) Justinianus ipse, legum civilium conditor, usucaptionem ad modos adquirendi civiles refert §. ult. Inst. de Usu & hab. nec non in pr. I. de Usucap. 2.) quod semel meum est, sine voluntate mea ad alium transferri non posse, est regula & naturali & civili Jure adprobata. L. n. de R. J. ast secus est in usucaptione, ubi mihi me incio & invito res auferuntur. L. 12. C. de prescr. long. temp. id quod tamen non nisi a superiore, Dominium emiens exercente, fieri potest, qualis in statu naturali non reperitur. GROTIUS de J. B. & P. L. I. c. 1. §. 6. it. cap. 3. §. 6. n. 2. it. L. 2. c. 13: §. 29. n. 3. it. c. 14. §. 7. & L. 3. c. 19. §. 7. it. c. 20.

c. 20. §. 7. & passim. 3.) Inter præcipua usucapionis requisita requiritur tempus. Ast Jus naturale tempus, modum aliasque circumstantias ignorat, id quod experientia & recta ratio testatur. 4.) Pro coloranda usucapione Doctores ipsi testantur, eam introductam esse, in poenam negligentia, & ne Dominia rerum sint incerta. Ast poenas non nisi superior infligere potest, talis autem, per antea dicta, in statu naturali non reperitur.

SCHOL. II.

Ne alicui scrupulus hareat, præter rationem in §. adductam, sequentes, ex interiori Imperiorum natura petitas, addam. Scimus, quod, dum Imperia monarchica sunt condita, redditum ratio maxime fuerit habenda, unde scil. sumantur redditus, pro conservandis viribus Imperii, ut & in pace & bello saluum sit, deinde unde proveniant redditus sustentationi Principis inservientes. Hinc vel territoria vel jura a singulorum Dominio eximebant, & ad hos usus destinabant, & illos redditus, qui ad tuendam Rempubl. ejusque onera ferenda inserviebant, vocabant ærarium, hos autem, que Principis erant, ad tuendam regiam dignitatem, fiscum nominabant. Ærarium & Fiscus est populi, quoad proprietatem, id quod non solum testantur leges & autores citati & Coccoe. in Jure publ. c. 9. §. 17. sed & ipsa ratio ex antecedentibus dictitat, quia sunt partes s. accessiones populi, vulgo pertinentia. Quod ad frumentos horum reddituum attinet, certo est certius, in ærarii frumentis Imperatorem saltim administratoris munere defungi, ast redditus Fisci esse Imperatoris proprios. Quodsi igitur Imperator bona Fisci aut ærarii oppignorat, sine populi consensu, rem alienam oppignorat, igitur a Populo, & qui eum representat, revocari possunt. Imo & si saltim fructus ærarii non ad sum destinatum adplicat, nulliter agit, quia contra voluntatem & legem populi agit. Deinde & Imperatores & subditi propter salutem publicam, qua est finis, in unam rempubl. coi vere, & ut hic finis obtineatur, tanquam media constituerunt fiscum

fiscum & ærarium. Dum autem per oppignorationes media auferant, idem quod vellent, nollent, quod, quia contradictorium, non præsumitur, ea intentione factas esse oppignorationes, ut semper res oppignoratae a corpore sint avulse, igitur quoquaque tempore revocari possunt. Nam ejusmodi res sunt firmamentum aliquod ac veluti fundamentum, quo publica res innititur, inquit Bodinus p. m. 1000.

S. IX.

Quod ad §. 27. Art. V. laudatæ pacis attinet, sancitur ibi de oppignorationibus Statuum inter se. Verba, quia notatu digna, adscribam: *Quæ vero bona Status Imperii sibi invicem pignoris jure ante hominis memoriam obligaverunt, in iis relutioni aliter locus non detur, nisi possessorum exceptiones, & merita causarum sufficienter examinatur.* Ex his verbis colligunt dissentientes: Si oppignorationes, etiam ante hominis memoriam factæ, reliui possunt, sequitur, ut earum præscriptio nunquam locum inveniat. Verum enim vero, hanc propositionem in dicto §. esse fundatam, nullus sibi persuadebit, patescit potius ex illo, oppignorationes ejusmodi esse præscriptas, nisi alter exceptiones gravioris ponderis, altiorisque indaginis proferat. *Quæ autem sint illæ exceptiones atque merita causæ, de quibus in dicto paragrafo sermo fit, inquirendum est.* Notum Juris Publici indagatoribus atque perspectum est, omnia ferme territoria, quæ a Statibus possidentur, esse feuda; de feudis autem scimus, quod sine consensu Domini directi, agnitorumque nunquam possint oppignorari, adeo, ut & post obitum vasalli oppignorantis, Dominus agnatique oppignorationibus stare teneantur. Itaque necessario sequitur, ut si ejusmodi oppignorationes a domino vel agnatis probari queant, attenden-

dæ examinandæque sint. Et tali modo dictus ille §.
nobis nunc explicandus venit, cui accedit, quod tunc
temporis, in laudato pacis instrumento, cum bellum
tricennale vix erat finitum, Statibus pignora quæren-
tibus, hanc ob causam aliquid indulgeretur, ne novæ
dissidiæ novaque bella exinde orirentur. Sed ex hoc
sequitur, ut a feudis ad allodia, de quibus nobis hoc
loco sermo fuit, nunquam valeat consequentia.

§. X.

Et hæc est, quod circa præscriptionem pignoris, qua-
tenus scil. ex Jure Civili sit cognoscenda, monere
voluimus. Sequitur nunc, paucis adhuc demonstran-
dum, quid circa eam Jure Sax. obtineat. Provocant
quidem communiter Dd. ad *Const. Elect. I. P. 2.* afferen-
tes, per d. C. pignus nunquam posse præscribi. Ve-
rum d. C. valde obscura nobis esse videtur, propterea,
quoniam utrum de Act. pign. an vero de Jure reliuen-
di pignus, sermonem faciat, non constat. Si C. alleg.
prius intelligeret, non video, quomodo ipsi Dd. Saxonici,
huic actioni præscribi statuere possent. Dn. de
WERNHER. *Comp. Jur. p. 140. §. 16.* Ergo haud dubio
de posteriori est explicanda. Nam non solum **B. MEN-**
CKEN. in *Synops. Pand. p. 339. §. 10.* huic sententiæ sub-
scribere non dubitat, sed & ipse **CARPZOVIVS** *Def. 3.*
nihil aliud quam Jus reliendi exponit. Si itaque de
facultate luendi pignus *Const. alleg.* sit explicanda, pos-
sumus equidem concedere, debitorem habere faculta-
tem debitum offerendi, nullo modo autem creditorem
cogendi, ut debitum acceptet, vel pignus, propter ex-
tinctam actionem reddet. Possumus itaque huic Acti-
oni, etiam in **Sax.** præscribere, modo ad **XXX.** annos,

annus

annus Saxonius (i. e. additamentum unius anni, 6.
septimanarum & 3. dierum) accedat. D.N. de
WERNHER. l.c.

V I R O
NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
GEORGIO FRIDERICO
MEYERO
S. P. D.
P R A E S E S.

Et si facillimo augurari possum negotio, quod, quia
in hac dissertatione sententiam inueteratam fre-
gisti, Tu temet ipse telis malevolentiae opposu-
eris. Erunt enim, qui antiquitatem aduersa sen-
tentiae laudabunt, qui multitudini auctorum adulabuntur,
qui propter usum receptum extollent. Ast quia melio-
ra pluribus non placent, nec veritatis studio quoq[ue] ren-
dum quid usitatissimum, sed quid optimum sit; Gratula-
tor Tibi, quod ejusmodi errorem detexisti, qui non,
nisi ab illo, qui omnibus Jurisprudentiae praesidiis orna-
tus excelleret, erui poterat. Interim quia in inferiori-
bus Doctorum ordinibus haud subsistere Te velle video,
sed ad superiora, & si facultas detur, ad ipsum cacumen
ascendere meditari, Tibi spatia emergendi & Patro-
nos exopto. Seruet Te Deus saluum & in columem,
multisque studiis ornatum Te in patriam reducat.
Vale mihi que faue. Dab. e Mus. Vitembergæ d. XII.
Nouembris. 1713 CXXIX.

00 A 6470


ULB Halle
002 931 303



3

Q

WD 17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

28

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
**PRÆSCRIPTIONE
RELUITIONISPIGNORUM
SECUNDUM ANALOGIAM
JURIS CIVILIS**
QVAM
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
CONSENTIENTE
MAGNIFICO JURISCONSULTORUM ORDINE
P R A E S I D E
GOTTLIEB STURMIO
JUR. UTR. ET PHILOSOPHIAE DOCT.
D. NOVEMBR. 1722.
IN AUDITORIO JURIDICO
HORIS CONVENTIS
PUBLICO EXAMINI SUBMISSAM DEFENDET
GEORGIUS FRIDERICUS MEYERUS
HOYERSWERDA-LUSATUS.
VITEMBERGÆ, LITERIS JO. LUDOLPHI FINCELLII.